

vestrę transmittimus, ut liquido cognoscere possitis, quam inique idem N. contra nos agit et quod nos iustas et rationabiles querimonie causas habemus.

[E] Omnibus Christi fidelibus tam futuris quam presentibus notum fieri volumus, qualiter N. de N. adiit E.³⁷ venerabilem prepositum sancte Babenbergensis ecclesię et fratres petens, ut quandam conventionem sibi cum eis facere liceret. Quod et factum est, peciit itaque idem N. a preposito et a fratribus, ut bona, quę habent in N. villa et in aliis adjacentibus locis, sibi permitterent infra spatium X tantummodo annorum eo videlicet tenore, ut singulis infra prescriptum terminum annis VI libras argenti preposito et fratribus eisdem solus^u ipse persolveret. Si vero aliquando hoc debitum constituto tempore non redderet aut de summa prescripti census aliqua occasione quicquam subtraheret, prepositus et fratres bona sua statim recipiendi absque omni contradictione liberam haberent potestatem. Hanc conventionem ipse N. iureiurando confirmavit. Iuravit secundo, quod transactis X annis de memoratis fratrum bonis nec ipse nec aliquis cognatus aut fidelis eius quasi beneficiario iure ante qualibet omnino occasione se ulterius intrmitteret, nisi cum gratia prepositi et fratrum benivolentia id fieret. Actum Babenberg anno ab incarnatione domini. Huius conventionis testes sunt N.

[F] Venerabili domino suo sanctę Tridentine ecclesie episcopo N.³⁸ quidam dignitatis eius humilis, si dignatur, famulus et dei gratia sanctę Babenbergensis ecclesię qualiscumque canonicus³⁹ quicquid ab humili persona dici vel excogitari potest eius dignum excellentia. Si salva gratia vestra, mi domine, ausi dicere iure veteris amicitię, non possum, fateor, de clementia vestra modo diffidere, loquar igitur fretus gratia vestra, loquar confidenter ad dominum meum, non audeo dicere filium quondam meum, filium, inquam, meum dulcissimum et carissimum, vos humilitatis meę suggestionem queso, clementer admittere dignamini. Patruelis mihi erat N. nomine. Is ubi rebus humanis excessit, fratres vestri, indulgeat illis dominus, predium ipsius dictum N. quocumque modo, non ausim dicere iniuria, possederunt, quod nunc quoque scimus in vestra potestate esse. Ego itaque et frater meus, quibus bona patruelis

u) sol- korrigiert aus pred Hs.

37) Dompropst Egilbert (1096–1121) oder Eberhard (1121–1143).

38) Bischof Adelbert (Adelpret) von Trient (1156–1172).

39) Vermutlich Tuto, von 1122 bis 1157 als Bamberger Domscholaster bezeugt.